



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE***ECCLESIA IPSA***TEMPLUM S. IOANNIS BOSCO IN PANAMENSI URBE

AD GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR BASILICARUM MINORUM Ad perpetuam rei memoriam. – Ecclesia ipsa sancta, a primaeva sui aetate, cultum venerationemque usque comprobavit et confirmavit sanctorum. Iidem profecto non modo corporibus laxati cum Deo beatissimam extendunt vitam, verum etiam hominibus adhuc terrestribus implicatis rebus caelestem viam commonstrant simulque praeclara praebent exempla virtutis. Cum autem illud de omnibus fatemur sanctis, tum vel maxime de recentioribus nobisque proximis, quandoquidem in iisdem propemodum fuerunt hi condicionibus iisdemque humanis difficultatibus atque nos sumus. Ex praeclaris aevi nostri sanctis procul dubio eminet atque elucet S. Ioannes Bosco, qui non modo suis temporibus mira patravit, sed eiusdem incepta magis et magis etiam nunc per terrarum orbem florescunt et dilatantur. Laetanter igitur in urbe Panamensi exstare comperimus templum insigne S. Ioanni Bosco dicatum, quod hinc structura praestat artificiosa, venusto praesertim distincta marmore, hinc reapse locus est singularis ubi catholica religio multimodis explicatur fidelesque altius excoluntur. Quas ob causas, cum Venerabilis Prater Marcus Gregorius McGrath, Archiepiscopus Panamensis, suo suorumque cleri et fidelium nomine, expostulaverit ut sacra aedes S. Ioannis Bosco, quae Panamariae, in sua scilicet archidioecesi, exstat, titulo dignitateque Basilicae Minoris ornaretur, Nos libenti sane voluntate Venerabilis Fratris precibus concedendum esse censuimus. Itaque ea rata habentes, quae Congregatio pro Cultu Divino, factis olim a Nobis potestatibus, hac de re statuerit, Apostolica Nostra auctoritate templum S. Ioannis Bosco, quod supra memoravimus, in numerum Basilicarum Minorum redigimus, additis item iuribus et privilegiis congruentibus, modo ea servata sint quae Decretum «De Titulo Basilicae Minoris» requirit, die VI mensis Iunii factum, anno MCMLXVIII. Contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obsistentibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIX mensis Octobris, anno MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostri undecimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1988 - Libreria Editrice Vaticana
